Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1013
Quelle:
Copyright:

335. f. Alter in Exurgens Maria. *Lectio quam audiuimus sancti euangelij* &c. ut *col.* 101.

VIII. *fol.* 164. p. 2. *Omelia origenis.* In Evangelium: *Cum esset desponsata mater ihesu* &c. *Matth.* c. 1. Initium: *Que fuit necessitas ut desponsata esset* &c. Incerti Autoris est, proptereaque in Edit. *Maur.* omissa. Vide, si lubet, *Origeniana Huetii* in *Adpend.* L. III. n. 5.

IX. *fol.* 166. *Incipit Omelia Beati Bernhardi super istud iohannis: Stabat iuxta crucem* &c. Initium: *Sicut christiane religionis defectus ex ariditate causatur cordis frigida. Sic nimirum ex inflammata affectione* &c. Non reperi in Operibus *Bernhardi*, neque ejus aetatis censeo Meditationem hanc potius, quam Homiliam, quae singula Textus sacri membra expendit usque ad illud: *Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua*, et *Mariae* Epistolam ad *Ignatium* citat.

X. *fol.* 176. *Incipit liber de vita christi beati thome de aquino.* In Edit. *Opp. Romae* 1570. T. XVII. P. 2. inter Opuscula f. 64. inscribitur *de Humanitate J. C. D. N.* et incipit: *Christus ihesus venit in hunc mundum* &c.

XI. *fol.* 208. p. 2. *Albertus super Magnificat.* Exposuit *Albertus M.* Canticum istud in suo super *Lucam Commentario* T. X. Opp. *Lugd.* 1651. f. Sed utraque Expositio in diversum abit. Initium nostrae est: *Magnificat anima mea dominum. Magnificat uoce, magnificat opere, magnificat affectu* &c. Itaque ad alium *Albertum*, qui non desunt, referendam putem.

XII. *fol.* 210. p. 2. *Incipit libellus de recommendatione caritatis.* Initium: *Seruo christi petro hugo, gustare et uidere quam suauis est dominus. Cogitanti mihi frater karissime* &c. In Operibus *Hugonis Victorini* edit. *Rothom.* 1648. T. II. p. 233. f. inscribitur: *In Laudem Charitatis.*

XIII. *fol.* 212. p. 2. *Hic ponitur symbolum apostolorum cum prophetijs correspondentibus.* Nota est opinio olim pervagata, singulos *Symboli* Articulos a singulis Apostolis concinnatos fuisse. Hic igitur ad ostendendam utriusque, ut putem, Testamenti ἁρμονιαν singulis praefixus est locus Propheticus παραλληλος.

XIV. *fol.* 213. *Incipit libellus Sancti Augustini ypponens. Pontificis de conflictu viciorum atque virtutum.* Et ad calcem: *Explicit liber beati gregorij pape de conflictu* &c. Sed utraque haec Rubrica rasa et refecta est. Tam parum sibi constabant Librarii de Autore hujus Opusculi, qui *Ambrosius Autpertus* est, ut jam *Vol.* I. non semel dixi. Initium: *Clamat vox apostolica* &c.

XV. *fol.* 216. p. 2. *Incipit regula beati augustini de vita monastica.* Ita: *Ante omnia fratres karissimi diligatur deus* &c. ut edit. *Maur.* T. I. *col.* 789.

CCCCXXXV.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 207. f. rubricis enotatus, U. 266